



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Wenceslaus M. 28. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

606 VITÆ SANCTORUM 28. Sept.
prehenderet, facile infulam missam fa-
cturus, elapsus è carcere Hierosolymam
unà cum Guelfone petiit. Sed à Turcis
captus, cum statuariam artem professus
set, jussus est truncum & deformatum
Mahometis simulacrum splendori pri-
stino reddere. Hic THEMIO malleum
aliaque artis instrumenta petere; mox,
ubi hæc ad manus fuere, celebre &
oraculis illustre idolum in mille alias
partes deformare, numquam doctius
arte suâ usus. Nec præmium artificii
suo desuit, scuticis toxicatis cæso,
omnibusque membris trunco venter dis-
cissus, baculoque implexa iyla sede suâ
cum corde evulsa. Reliquit tamen opus
immortale post se, & quale nullum
Praxiteles. Ex Barvar. Sanctâ.

*Beatus qui sanctitatem ut lucem diligit,
& tenebrosis diaboli operibus non inquinat
corpus suum in conspectu sanctissimi Dei
nostri. Beatus qui corpus suum servatori
custodit, & malis operibus non contaminat
animam suam, sed gratus manet in Do-
mino Deo suo. S. Ephrem. in Beatitud.*

S. WENCESLAUS M. 28. Septembris.

Disparis educationis dispares exitus
vide. Erant WENCESLAUS &
Boleslaus germani fratres, Bohemiarum
uterque Dux: sed illum avia Ludilla
sanctissima matrona, hunc monstrum
mulie-

28. Sept. VITÆ SANCTORUM. 607
mulieris Drahomira mater eduxit. Nempe uterque mores nutricis imbibit. Fratres negaret: tam iste pietatem oderat, tam ille amaverat. Ille divina humanaque omnia suisque deique habere; hic vero nudis pedibus summâ hieme templa obire, & facienti Sacerdoti minister adesse. Ostendit cælum, gratum sibi esse, hominum iis muniis assuescere, quibus cives sui Angeli delectarentur. Cum enim in Radissaum moveret, WENCESLAUS parcus sanguinis suorum, se prodigus sui, hosti duellum obtulit, ensiculo brevi succinctus, sed benè loricâ è cilicio & cruce armatus. Adest ille totus ferreus, hastâque ingenti & machæra timendus; verum pugnam sibi non cum homine esse, sed Angelo videt, qui perterritum ad genua WENCESLAI cogit descendere. Quin Otho etiam Imperator cum comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi aulam *Wenceslaus* videt, comitatu profectò ipsi etiam Imperatori in videndo. Tandem Drahomira blandis verbis ad se invitatum per Boleslauum in mensâ obruncat. Sed parricidium novercæ matris, neque ipsa quidem Styx tulit: curru quippe vectam cum omni comitatu (si modò aurigam excipias, qui ære campano excitus ad aram accurrerat) vivam absorpsit, utique non levem terram habituram, cui viva tam gravis fuerat. *Ex Surio.*

Nense

608 VITÆ SANCTORUM. 28. Sept.

Nemo speret in patronis, nemo in amicis aut parentibus, cum etiam frater fratrem tradat in mortem, pater filium & filius patrem. S. Ioann. Chrysoft. hom. 24. in Matthæum.

S. CHARITON CONF. 28. Sept.

Sic persuasum habeo, uti dedecus plenum ignominia civi Romano fuit, ita plenum gloria facinus Christiano fuisse, ad tribunal cæli. Cur enim CHARITON nobilis Iconii civis obtorto collo in jus iniquissimum raptatus exultavit etiam gaudio, cum in crucis formam extensus flagris caderetur barbarum, & facibus ustularetur miserandum, nisi quod uni Scevolæ Romano invidiam facere omnes Christiani vellent, docereque nullas honestiores cicatrices esse, quam pro Christo à tyranno acceptas? His plenus miles noster in carcerem detrusus est. Aperuit tamen hunc, quæ vitam clausit impiam Aureliano mors impia. Ergo liber CHARITON, ut Christi vestigiis insisteret, instituit Hierosolymam petere; sed interceptum ex itinere prædones in antrum suum abducunt, ignari à captivo se spoliandos. Et enim cum palantibus illis serpens haustum libasset, mortem omnes sub adventum biberunt, & è vinculis CHARITON Angeli operâ exemptus, spolia omnia præ-